DE MARCI TULLII CICERONIS SIMUL MORTE, SIMUL MONUMENTO, NOSTRA...

Reinerus Reineccius

Digitized by Google

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

5. L. 15

DE M. TVLLII CICERONIS SIMVL MORTE, SIMVL monumento, noſtra memoria reperto,

ἐκλογαί.

Item vita IOANN. GLANDORPII Monaſter.

In prioribus duabus expoſitionibus altera nunc primùm in Germania editur, vtraq́; verò Ciceronis ſcriptis plurimum lucis affert: poſtremam Onomaſticon Roman. deſiderare videbatur.

HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno 1589.

K.K. HOFBIBLIOTHEK

MAGNIFICO ET EXCELLENTI VIRO, DN. IOANNI IAGEmano, illuſtriſs. Ducis Brunouic.&c. Cancellario, Iureconſulto clariſs. Patrono præcipuo & obſeruand.

S. D.

REINERVS REINECCIVS Steinhemius.

GRatulor tibi, Ioann. Iagemane, de muneris profectò ardui functione, recenti tempore tibi demandata, gratulor, inquam, ex animo, & benè vertat, opto. Nimirum conſpicua illa virtus tua, inſignis & elegans doctrinæ eruditio, facundia, rerum vſus, iam pridem honores hoſce merebantur. Cùm tu, ne-

ſcio vtrum Genio obſecutus tuo, ſeu quodam profeſsionis τῆς πρέπης inductus, nec minus docendo, commentando, de iure reſpondendo operæprecium te facere poſſe ratus, in hoc ſcholaſtico vitæ genere ſubſiſtere maluiſti. At nunc alia te fata vocant: Sequere ergo, & ita ſequere, vt omine & pede graduq; fauſto procedas: quando futurum nemo dubitat, vt in iſta reipub. luce, quæ dixi, ornamenta tua etiam ſpendidioribus radijs emicent, & coruſcent. Mihi quidem euentum illum totum penitius in animum demittenti ſubit recordari, quod Siracidæ πανάρετος, vt Euſebiana Chronologia nominauit, à Martino Luthero populari lingua redditus, habet cap. 10. *Eſt enim imperiorum, eſt imperioſarum perſonarum auctor Deus: et quàm diu illa vult ſupereſſe, ac florere, tantiſper*

ſper & has largitur, atq; exuſcitat. Id quod vtiq; vel in Ethnica impietate, & cœleſtis doctrinæ ignoratione, ſagaciter agnouit Cicero, nullum vnquam virum magnum ſine afflatu diuino fuiſſe, profeſſus, agnoſcunt ſani & cordati omnes. Imò quis de re notoria, nec ſolùm τῶν κοινῶν ἐννοιῶν *præuio lumine, verùm etiam tot ſeculorum exemplis confirmata, deniq; in omnium ſenſus & oculos incurrente,* ἐπέχειν *auſit? Perge igitur in iſta ſtatione, & Sparta, quam nactus es, ornanda, bonis auibus, id eſt, virtute duce, fortuna comite. Qua in parte etſi* παραινέσεως *mea nequaquam indigebas, & ita ab ipſa natura factus, ita ab ineunte ætate accurata* παιδεύσει, *ita diſciplinis informatus es, vt nulla te officij munia prætereant, tamen huic ſaltem ſubiectioni noſtræ haud grauatè locum re-*

linques, vt ſecundum Eccleſiam & Rempub. quæ in hac mortali vita, vt ſcis, planè arcem obtinent, etiam Muſarum tibi cura nunquam effluat. Quod enim hæ τῆς Ἀμαλθείας κέρας, quemadmodum habet adagium, in penetralibus foueant, quàm cumulatè patronos, fautores, cultores ſuos beent, ac remunerentur, te non fugit. Enimuerò licet ſcholæ noſtræ non poßit non moleſtum atq; acerbum eſſe, quòd conſuetudine præſentiaq; tua priuata eſt, tamen hoc ipſo orbitatem ſuam leuatam iudicat, quòd apud eum Principem, quem patrem patriæ veneratur, cui primordia ſua, atq; adeò, ſi à Deo opt. max. diſceßerimus, incrementum & ſummam accepta refert, pro ſalute ſua te quaſi in excubijs collocatum cernit. Quod ſanè beneficium cùm poſt homines natos ampliſſimum

mum exiſtat, & me priuatim non vno modo obligatum intelligam, hanc de collectaneorum ſubiectorum dedicatione, nomini tuo facta, grati & memoris animi ſignificationem publicam edere volui. Quis enim Ciceronis ſcriptis, quis memoria eius te magis delectatur? nempè eiuſmodi antiquitatis θελγήτροις *in ſuſceptis ad exteros populos peregrinationibus aſſuefactum, nec tantùm aſſuefactum, ſed conſtante & honeſta, addo etiam fructuoſa eorum cupidine indies vehementius exardeſcentem, & flagrantem. Omitto, de monumento Ciceronis hiſtoriolam in Germania expreſſam antè nunquam fuiſſe, cùm interim hominum noſtrorum lucubrationibus, inprimis verò Melchioris Seidlicij, Equitis Sileſij, itinerario Hieroſol. & Georgij Fabricij Roma non obſcurè ce-*

lebretur. Requirere tamen ea pleniorem de morte Ciceronis explicationem quampiam videbatur. Itaq; hanc è diuerſis auctoribus à Seneca concinnatam præmiſimus. Altera de vita Ioann. Glandorpij expoſitio ad Onomaſticon Romanum pertinebat. Cuius non tam elaboratio, quàm emendatio & locupletatio, quia eo tempore, dum adhuc nobiſcum manebas, à me abſoluta eſt, imò negotium id auctoritate tua non modicè iuuiſti, tangere ſcilicet è communis Muſarum noſtrarum quaſi fundi cultura profectus fructus nonnihil te videbatur. Cùm quidem iſtud inſuper de me profiteri iure habeam, debitam optimè merito præceptori obſeruantiam laborem hunc planè exegiſſe. Quapropter officio noſtro benignè faueas, & perſpectiſſimum illum

erga me animum tueare, obteſtor & oro. Equidem is deinceps in te colendo reperiar, quem eſſe me voles, & beneficia tua eſſe iubent, eo ſtudio faxo, quod ſummum eſſe poteſt. Etiam atq; etiam vale. Ex Acad. Iulia Helmæſtad.

DE MORTE M. TVLLII CICERONIS MORS, DIVERSORVM AVCTORVM EXpoſitionibus comprehenſa, è Seneca Suaſoria ſexta.

NON alienum puto, indicare, quomodo ſe quiſq; ex Hiſtoricis aduerſus memoriam Ciceronis geſſerit. Nam quod Cicero nec tam timidus fuerit, vt rogaret Antonium, nec tam ſtultus, vt exorari poſſe ſperaret, nemo dubitat, excepto Aſinio Pollione, qui infeſtiſsimus famæ Ciceronis permanſit. Et paulò pòſt: Ita enim ait LIVIVS: M. Cicero ſub aduentum Triumuirorum ceſſerat vrbe, certum habens id quod erat, non magis Antonio eripi ſe, quàm Cæſari Caſsiũ & Brutum poſſe. Primò in Tuſculanum fugit, inde tranſuerſis itineribus in Formianum, vt ab Caieta nauim conſcenſurus proficiſcatur. Vndè aliquo-

quoties in altum profectum cùm modò venti aduerſi retuliſſent, modò ipſe iactationem nauis cæco voluente fluctu pati non poſſet, tædium tandem eum & fugæ & vitæ cepit, regreſſusq́; ad ſuperiorem villam, quæ paulo plus mille paſsibus à mari abeſt: Moriar, inquit, in patria ſæpe ſeruata. Satis conſtat, ſeruos fortiter, fideliterq́; paratos fuiſſe ad dimicandum, ipſum deponi lecticam, & quietos pati, quod ſors iniqua cogeret, iuſsiſſe. Prominenti ex lectica, præbentiq́; immotam ceruicem, caput præciſum eſt: nec ſatis ſtolidæ crudelitati militum fuit, manus quoq́; ſcripſiſſe in Antonium exprobrantes præciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, iuſſuq́; eius inter duas manus in Roſtris poſitum, vbi ille Conſul, vbi ſæpe conſularis, vbi eo ipſo anno aduerſus Antonium, quanta nulla vnquam humana vox, cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat: Vix attollentes lachrymis oculos homines

homines intueri trucidata membra eius poterant. Baſſus Aufidius, & ipſe nihil de animo Ciceronis dubitauit, quin fortiter ſe mori non præbuerit tantùm, ſed obtulerit. AVFIDII BASSI. Cicero paulum remoto velo, poſtquam armatos vidit, ego verò conſiſto, ait, accede veterane, et ſi hoc ſaltem potes rectè facere, incide ceruicem. Trementi deinde dubitantiq́;, quid ſi ad me, inquit, primùm veniſſetis? Cremutius Cordus & ipſe ait, Ciceronem cùm cogitaſſet, vtrum ne Brutum, an Caſsium, an Sex. Pompeium peteret, omnia illi diſplicuiſſe, præter mortem. CREMVTII CORDI. Quibus viſis lætus Antonius, cùm peractam proſcriptionem ſuam dixiſſet, eſſet quippe non ſatiatus modò cædendis ciuibus, ſed defectus quoq́;, pro Roſtris exponit. Item, quà ſæpius ille ingenti circumfuſus turba proceſſerat, quæ paulo antè coluerat piis concionibus, quibus multorum capita

ſerua-

ſeruauerat, tum per artus ſuos latus, aliter ac ſolitus erat, à ciuibus ſuis conſpectus eſt, pendenti capiti oriq́; eius impenſa ſanie, breui ante Princeps ſenatus Romaniq́; nominis titulus, tum precium interfectoris ſui. Præcipuè tamen ſoluit pectora omnium in lachrymas gemitusq́;, viſa ad caput eius deligata manus dextera, diuinæ eloquentiæ miniſtra: cæterorumq́; cædes priuatos luctus excitauerunt, illa vna communem. BRVTIDII NIGRI. Elapſus interim altera parte villæ Cicero lectica per agros ferebatur, ſed vt vidit appropinquare notum ſibi militem, Popilium nomine, memor defenſum à ſe, lætiore vultu aſpexit: at ille victoribus idipſum imputaturus, occupat facinus, caputq́; deciſum nihil in vltimo fine vitæ facientis, quod alterutram in partem poſſet notari, Antonio portat, oblitus ſe paulo antè defenſum ab illo. Et hic voluit poſiti in Roſtris capitis miſerabilem faciem

deſcribere, ſed magnitudine rei obrutus eſt. Item BRVTIDII NIGRI. Vt verò iuſſu Antonij inter duas manus poſitum in Roſtris caput conſpectum eſt, quo toties auditum erat loco, ſedato gemitu & fletu maximi viri inferiæ, nec vt ſolet ita depoſiti in Roſtris corporis concio audiuit, ſed ipſa narrauit. Nulla non pars fori aliquo iactationis inclytæ ſignata veſtigio erat. Nemo non aliquod eius in ſe meritũ fatebatur, hoc certè publicum beneficium palàm erat, illam miſerrimi temporis ſeruitutem ac aleam delatam in Antonium. Quoties magni alicuius mors ab hiſtoricis narrata eſt, toties ferè totius conſumatio vitæ, & quaſi funebris laudatio redditur: hoc ſemel atq; iterum à Thucydide factum, idem in pauciſsimis perſonis vſurpatum à Saluſtio, Liuius benignius omnibus magnis viris præſtitit. Sequentes hiſtorici multo id effuſius fecerũt. Ciceroni hoc, vt Græco verbo vtar, ἐπιτάφιον

Liuius

Liuius reddit. TITI LIVII: Vixit tres & ſexaginta ãnos, vt ſi vis abfuiſſet, ne immatura quidem mors videri poſſit: ingenium & operibus, & præmiis operarum felix: ipſe fortunæ diu proſperæ, & in longo tenore felicitatis, magnis interim ictus vulneribus, exilio, ruina partium, pro quibus ſteterat, filiæ morte, exitu tam triſti atq́; acerbo: omnium aduerſorum nihil vt viro dignum erat, tulit, præter mortem, quæ verè æſtimanti minus indigna videri potuit, quod à victore inimico crudelius paſſus erat, quàm quod eiuſdẽ fortunæ cõpoſito feciſſet. Si quis tamen virtutibus vitia pensârit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cuius laudes ſequendas Cicerone laudatore opus fuerit. Vt eſt noſter candidiſſimus omniũ magnorũ ingeniorũ æſtimator T. Liuius, pleniſſimũ teſtimoniũ Ciceroni reddidit. Cordi Cremutij non eſt operæ deferre etiam redditam Ciceroni laudationem. Nihil enim ipſo Cicerone indignum eſt, ac ne hoc quidẽ,

quod penè maximũ eſt, tolerabile eſt. CREMVTII CORDI. Priuatas enim ſimultates deponendas interdũ putabat, publicas nunquam. Vides credendam eius non ſolùm magnitudinem virtutum, ſed multitudinem quoque conſpiciendam. AVFIDII BASSI. Sic M. Cicero deceſsit, vir natus ad reipub: ſalutem, quæ diu defenſa atq; adminiſtrata in ſenectute demum è manibus eius elabitur, non ipſius vitio læſa, quòd nihil in ſalute eius aliud illi, quàm ſi caruiſſet Antonio, placuit. Vixit ſexaginta & tres annos, ita vt ſemper aut peteret alterum, aut inuicem peteretur, nullamq; rem rarius, quàm diem illum quod nullius intereſſet ipſum mori, vidit. Pollio quoq; Aſinius, qui Verrem Ciceronis reum fortiſsimè morientem tradidit, Ciceronis mortem ſolus ex omnibus malignè narrat, teſtimoniũ tamen quamuis inuitus plenum ei reddit. ASINII POLLIONIS.

Huius

Huius ergo viri tot tantisq; operibus manſuris, in omne æuum prædicare, cuius ingenio atq; induſtriæ ſuperbè natura pariter atq; fortuna obſecuta eſt. Ei quidem facies decora ad ſenectutem, proſperaq; permanſit valetudo, tum pax diutina, cuius inſtructus erat artibus, contigit: namq; à priſca ſeueritate iudicis exacti, maximorum noxiorum multitudo prouenit, quos obſtrictos patrocinio incolumes pleroſq; habebat. Iam feliciſsima conſulatus ei ſors petendi & gerendi munera magna, Deûm conſilio, induſtriaq;: vtinam moderatius ſecundas res, & fortius aduerſas ferre potuiſſet: namq; vtræq; cùm venerant ei, mutari eas non poſſe rebatur. Inde ſunt inuidiæ tempeſtates coortæ graues in eũ, certiorq; inimicis aggrediendi fiducia: maiore enim ſimulates appetebat animo, quàm gerebat. Sed quando mortalium nulli virtus perfecta contigit, qua maior pars vitæ atq; ingenij

ſtetit, ea iudicandum de homine eſt. Atq; ego ne miſerandi quidem exitus eum fuiſſe iudicarem, niſi ipſe tam miſeram mortem putaſſet. Affirmare vobis poſſum, nihil eſſe in hiſtoriis eius hoc, quem retuli, loco diſertius, vt mihi tunc non laudaſſe Ciceronem, ſed certaſſe cum Cicerone videatur. Nec hoc deterrendi cauſa dico, ne hiſtorias eius legere concupiſcatis, concupiſcite, & pœnas Ciceroni dabitis. Nemo tamen ex tot diſertiſſimis viris melius Ciceronis mortem deplorauit, quàm Cornelius Seuerus.

CORNELII SEVERI.

ORaq; magnanimûm ſpirantia penè virorũ
In Roſtris iacuere ſuis; ſed enim abſtulit omnis,
Tanquam ſola foret rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia Conſulis acta,
Iurataq; manus, deprenſaq; fœdera noxæ,
Patritiumq; nefas, eſt nunc & pœna Cethegi,
Deiectusq; redit votis Catilina nefandis.

Quid

Quid fauor aut cœtus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt, ſacris & vita quid artibus acta?
Abſtulit vna dies æui decus, ictaq; luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ
Vnica ſollicitis quondam tutela ſalusq;,
Egregium ſemper patriæ caput, ille Senatus
Vindex ille fori, legum ritusq;, togæq;.
Publica vox eius æternum obmutuit armis.
Informes vultus, ſparſamq; cruore nefando
Caniciem ſacrasq; manus, operumq; miniſtras
Tantorum, pedibus ciuis proiecta ſuperbis
Proculcauit ouans, nec lubrica fata Deosq;
Reſpexit, nullo luet hoc Antonius æuo.
Hæc nec in Hæmatio mitis victoria Perſe,
Nec te dire Syphax, non fecit in hoſte Philippo.
Inq; triumphato ludibria cuncta Iugurtha
Abfuerant, noſtraq; cadens ferus Hannibal iræ,
Membra tamẽ ſtygias tulit inuiolata ſub vmbras.

Non laudabo municipem noſtrum bono verſu, ex quo hic multo melior Cornelij Seueri proceſſit:

Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ.

Sextilius Ena fuit homo ingenioſus magis quàm eruditus, inæqualis Poëta, & penè quibuſdam locis talis, quales eſſe Cicero Cordubenſes Poëtas ait,

tas ait, pingue quiddam ſonantes atq́; peregrinum. Is hanc ipſam proſcriptionem recitaturus in domo Meſſalæ Coruini, Pollionem Aſinium aduocauerat, & in principio hunc verſum non ſine aſſenſu recitauit,

Deflendus Cicero eſt Latiaq́; ſilentia linguæ.

Pollio Aſinius non æquo animo tulit, & ait, Meſſala, tu quid tibi liberum ſit in domo tua, videris, ego iſtum auditurus non ſum, cui mutus videor, atq́; ita conſurrexit, ne interfuiſſet recitationi eorum, quod Corneliũ ſcio, cui non æquè diſplicuiſſe hunc verſum quàm Pollioni apparet, quod meliorem quidem, ſed non diſſimilem illi & ipſe compoſuit.

MO-

MONVMENTVM CICERONIS, REPERTVM ET DEſcriptum â Deſiderio Lignamineo Patauino.

AD REVEREN-DVM F. SIXTVM MEDI-cen Venetum, Theologum eximium.

F. IORDANI BASSI VTI-NEN. Hendecaſyllabum.

NON vltra voluit patris ſepultos
Celari cineres, Latina lingua,
Quos DESIDERIVS rete-xit alto
Solers conſilio, fauenſq; Muſis,
Qui tantum meret, vt videmus omnes,
Quantum ſoluere vix queamus omnes.
Sed nihil piùs hic requirit vltrà,
Quàm iuuiſſe bonos ſuo labore.
Quem, te SIXTE patrem ſuum ſalutans,
Prælo vult, duce te, obſecratq; tradi,
Tuiſq; auſpicijs videre lucem,
Gratum indicio peritiorum.

Vale & felix Viue.

IOAN-

IOANNES MARIVS TIRABVSCVS, IN SEPVLCHRI CICERONIS reperti teſtimonium.

QVis caput, atq; manus, ſecuit tibi, maxime Tulli.
Nouimus, ignotum, qui tegat oſſa locus.
Hunc DESIDERIO debes, cui crede, Zacynthum
Felices cineres occuluiſſe tuos.
Vrna reperta, oculis luctus profuſus amicis,
Antiqua, & facti littera teſtis adeſt.

F. DESIDERIVS LIGNAMINEVS PATAVINVS, HIERONYMI FIL.

IOANNI BAPT. Priuitellio Cœnetenſi, viro doctiſs. & præcept. opt.

S. D.

IN Zacyntho inſula Venetorum, quæ adiacet Epiro in mari Ionio, Anno M. D. XLIIII. Kl. Decemb. apud ſacellum D. Mariæ, gratioſæ cognomento, non longè à littore maris poſitum, F. Angelus Apulus Minorita, dum conſtruendi monaſterij fundamenta effoderet, ſepulchrum antiquiſſimum reperit, his literis inſcriptum: *M. TVLLI CICERO HAVE, ET, TV* ΤΕΡΤΙΑ ΑΝΤΩΝΙΑ. Quod quidem ex hac vetuſta inſcriptione oſtenditur, fuiſſe M. Tullij Ciceronis Arpinatis, ciuis Romani. Quomodo autem eò Ciceronis reliquiæ

delatæ ſint, monumẽtumq́; hoc ipſum illi ſit erectum, vt rem ab ætate noſtra remotiſſimam, haud facilè dixerim. Satis tamen conſtat ex Liuio, Appiano & Plutarcho, quòd cùm Triumuiri, Octauianus Cæſar M. Antonio Ciceronem, quem patrem appellare ſolebat, Antonius verò Cæſari L. Cæſarem, auunculum ſuum, & M. Lepidus L. Paulum fratrem, viros conſulares, nefanda permutatione necandos conceſſiſſent, vbi hæc verè audiuit, deſperatis rebus, præſertim ex ſua, filij, & fratris, ac fratris filij, omnium deniq; neceſſariorum, & clientum, amicorumq́ue proſcriptione, vrbe eo conſilio abeſſe voluit, vt in Macedoniam ad M. Brutum traiiceret. Primò igitur in Tuſculanum fugit, inde tranſuerſis itineribus in Formianum veniens, Caietæ ſiue Aſturæ nauẽ ingreſſus, Circeios vſq; nauigauit. Ibi propter ventos aduerſos, maris

 tem-

tempeſtate deterritus, cùm in terram deſcendiſſet, tædium tandem eum & fugæ & vitæ cœpit. Regreſſus autem ad ſuperiorem villam, Moriar (inquit) in patria ſæpè ſeruata. Tandem peruicerunt liberti, & ſerui, qui ſecum erant, vt iterũ nauigaret. Cùm igitur ipſum lectica impoſitum ad mare referrent, adfuere ſatellites cum Cn. Popilio Lænate, legionario milite, qui iuſſu M. Antonij, Ciceronem patrem patriæ, & patronum ſuum in parricidij iudicio, prominentem ex lectica, depoſita eius mandato, præbentemq; ceruicem immotam, capite tribus feriens ſecansq; vulneribus, manibus quoq;, præſertim dextra, qua Philippicas ſcripſerat, præciſis, crudeliſſimè obtruncauit, ante Chriſtum natum Ann. XL. ætatis verò ſuæ LXIII. aut ſicuti Arelius Fuſcus apud Senecam teſtatur, LXIIII. Ciceronis deinde caput & manus Romam ad

ad Antonium delatæ, quas aſpexit diu ſumma lætitia exultans, & Fuluia eius vxor (Dionis hiſtorici teſtimonio lib. XLVII.) Ciceronis caput manibus pertractans, deturpauit, & conſpuit, moxq́; ſuper genua imponens, ex ipſius ore linguam extraxit, eamq́; acubus, quibus ad ornatum capitis vtebatur, multis non ſine contumeliis totam pupugit, & perforauit. Vbi verò mulier nequiſſima, hac immanitate, & Antonius illo ſpectaculo per diem oblectatus & ſatiatus eſt, iuſſit per contumeliam, caput inter duas manus pro Roſtris affigi, & Popilium, ducem ſatellitum, coronauit, donauitq́; ducentis & quinquaginta drachmarum Atticarum millibus, hoc eſt, vt nunc ſubducunt, XXV. millibus aureorum. Reliquum verò corpus, quò & delatum, & à quibus ſepulchro ornatum fuerit, nunquàm legiſſe me-

mini

mini, niſi ſemel in quibuſdam verſibus de morte Ciceronis à viris XII. ſcriptis, qui illum à L. Lamia, eius amiciſſimo, humi traditum memoriæ prodidiſſe videntur: nulla tamen apud quoſcunq;, qui de hac re ſcripſerint, ſepulturæ loci mentione facta. Quamobrem crediderim potius, libertos & ſeruos, qui cum Cicerone erant, & quieti iuſſu domini paſſi fuerant, quod ſors iniqua, & M. Antonij iniquitas, tuliſſet in eum, accepiſſe cadauer, & combuſſiſſe, & mox conſcendentes nauim ad nauigandum paratam, cum cineribus ipſius, & forſitan vxore, & aliis propinquis, & amicis, ex timore bellorum ciuilium, Zacynthum inſulam in ipſo nauigationis curſu appuliſſe: Deinde à Marco, Ciceronis filio, quem Octauianus, vt ſe à traditione Ciceronis excuſaret, Pontificem ſtatim declarârat, nec multo pòſt Conſul factus ſibi collegam delegerat, in memoriam patris, dum redit in Italiam

(in

(in Græciam enim fugerat poſt Ciceronis mortem, Appiani teſtimonio) erectum hoc ſepulchrum fuiſſe. Siquidem & in Macedonia dignas inferias (antiquorum more) patri perſoluerat, cùm illi M. Brutus ad vindictã, necandum conceſſiſſet C. Antonium, Triumuiri fratrem, quem captiuum habebat. In ipſius autem ſepulchro adinuentæ fuerũt vrnulæ duæ vitreæ, in quibus tanti viri cineres & amicorum lachrymæ (de more) ſeruabãtur. Erant autem formæ & magnitudinis effigiatæ, & expreſſæ ad vnguem, vt ſequenti fol. cum facie ipſius ſepulchri, videre licet. Quod non modò non à veritate ipſa alienum, ſed etiam & credibile, & rationi conſentaneum eſſe, hoc ipſe vno argumento facilè iudicârim. In fundo enim maioris vrnæ cinerum, in ambitu concaui, vitro erat inſcriptum: AVE MAR. TVL. Quæ omnia ſuperiori anno XVIII. Cal. Maij, cùm ex Creta, Veneto.

netorum colonia, vbi decennium publicè bonas literas docueram, in Italiam nauigarem cum Hieronymo Bragadeno, Cydonienſium Rectore opt. & integerrimo, meis oculis inſpexi, manibus attrectaui in ſacrario antedicti templi, & deſcripſi. Cùm autem Venetias applicuiſſem, atq; inde Pat. III. Id. Maij. multorum doctiſſimorum virorum, imprimisq; Egnatij Veneti, Thomæ Thoſarelli Vtinenſis, Marci Mantuæ, Bonauiti Iuriſconſ. Arnoldi Rholæi Medici, Bernardini Tomitani, Lazari Bonamici, & Ioannis Faſeoli Patauini, cohortatione deuictus, ſub tuis auſpiciis ad communem ſtudioſorum vtilitatem & gratiam, nunc primum aliquid ocij nactus, vt hæc in manus hominum mitterentur, curaui. Antiquiſſimam hanc igitur Ciceronis memoriam (præceptor opt. & omnium doctiſſ.) donec maiora tibi, & fortaſſe meliora, parturimus, veluti præludium aliquod perpetuæ

petuæ meæ erga te obſeruantiæ, benigna fronte, hilari vultu, & læto animo accipias quæſo, munusq́; nõ ex ſeipſo, ſed ex animo meo metire, cùm præſertim, οὐ καλὸν ἀνηνάσθαι δόσιν εἴη, vt vulgò dici ſolet. Te autem reuerendus F. Io. Bap. Lignamineus Pat. Theologus eximius, & mihi patruus opt. ſaluere iubet. Ego verò, & te, & ſuauiſſimos, probatiſſimosq́; filios tuos, Tarquiniũ Iuriſconſ. & Virginium ſummæ expectationis adoleſcentem, & ſaluere, & perpetuò felices eſſe volo. Vale, meum & tuorum decus, & me in eorum numerum recipias oro, qui te diligenter obſeruant, & colunt. Venetiis ex celeberrimo DD. Io. & Pauli cœnobio, XI. KL. Feb. Ann. à ſalute mortalibus reſtituta,

M. D. XLVII.

Rogatum te, candide Lector, typographus vult, vt ne omiſſas hoc loco ſepulchri Ciceronis, & vrnarum figuras, ægrè feras. In cauſa enim multa fuere. Et quia id genus monumentis Inſcriptiones vetuſtatis, quas Petro Apiano & Bartholomæo Amantio debemus, abundant, facile inde quicquid iacturæ eſt, ſarcire poteris.

F. DESIDERIVS LIGNAMINEVS PATAVINVS, HIERONYMO MERCATELLO Veneto, Eccleſiæ Patauinæ Canonico, beneficentiſs. patrono ſuo. S. P. D.

QVia nonnulli, tuq; inprimis (Hieronyme, virorum opt. addo etiam doctiſs.) admirati ſunt, illud HAVE, in ſepulchro M. T. C. paucis antè annis à me in lucem edito, flatili litera inſcriptum eſſe, idcircò nonnullas inſcriptiones antiquiſſimas in medium adducam, ne id ambiguum habeas, in frequenti idem eſſe antiquorum librorum & lapidum obſeruatione, in quibus paſsim ſic ſcribitur. Erat olim Patauij lapis pulcherrimus, qui nunc viſitur prope Auguſtam Vindelicorum, cum hac inſcriptione, D. M. PORTITORI PLVTONI, ET PROSERP. HAVE. C. F.

MAXIMA FELIX. Quæ latius videre licet apud inſcriptiones totius orbis, & Bernardinum Scardæonium, antiquitatis omnis ſtudioſiſſimum de claris ciuibus Patauinis. Non diſſimiles etiam multis in locis ſic leguntur, rarò autem admodum aliter, vt in fundo maioris vrnæ cinerum Ciceronis, & Mediolani in domo Ill. Io. Iacobi Triultij: HAVE ALCIME BENE TIBI SIT. Harum verò inſcriptionum, HAVE, exempla quædam miſit olim Marcellus Ceruinus, ſuperiori anno Pont. Max. ſed immaturo fato nobis ereptus, ad Petrum Victorium, de re litteraria pulchrè meritum, & hæc ſunt: MACEDO HAVE, BENE VALEAS. Quæ inſcriptio viſitur Romæ duobus in locis, vt habent Epigrammata antiquæ vrbis. In domo quoq; Marij Odi: IPHIGENIA SVAVIS HAVE. In horto etiam Iulij Tomarotij, viri clariſſimi, Longolij teſtimonio,

HAVE

HAVE HYGIA, ANIMA DVLCISSIMA, SIT TIBI TERRA LEVIS. Eſt præterea pulcherrimis litteris ita ſcriptus lapis Piſis, vbi Coſmus Med. Florentiæ Dux Ill. florentiſſimum gymnaſium inſtaurauit: PARTHENI HAVE. BENE VALEAS. Apud Oſtiam itidem, IVLIA S.P. F. THAIDI, HAVE THAIS, DII TIBI BENEFACIANT. Nec Salerni aliter inſpicitur, FLAVIA CLAMERA DVLCISSIMA HAVE. Nihil igitur dubitandum; tot iam locupletiſſimis teſtimoniis in medium adductis, quin hæc vera ſit orthographia, HAVE, ab antiq̃s recepta, & obſeruata, quam etiam Georgius Fabricius Germanus retinuit, dum huius ſepulchri, à me in lucē editi, mentionem fecit in ſua ROMA de locis ſepulchrorũ cap. XX. Quod verò à me petis, quænam fuerit Tertia illa Antonia, de qua ſit mẽtio in ſepulchro Ciceronis, id mihi (vt verum fatear)

adhuc non ſatis conſtat. Quamobrem autem Tertia cognomine dicta ſit, facilè quiuis perſpicere poteſt. Sic Romulus (auctore Plutarcho) cùm ex Herſilia filiam vnam ſuſcepiſſet, eam ab ordine procreationis Primam appellauit. Tertia igitur erit cognomen (quamuis non ignorem, plæroſq; prænomen magis eſſe opinari) ſicut & Prima & Secunda & Quarta & Quinta: quod ipſas ſorores, eodem patre genitas, & nomine gentilicio, ſicuti mos erat, dictas diſtingueret. Exempli cauſa, Antoniæ, ſi tres fuiſſent ſorores, PRIMA, SECVNDA, TERTIA, cognominibus diſtinguebantur, ſi duæ tantum, Maior & Minor apponi ſolebat. Et me in hanc ſententiam trahunt antiquorum lapidum inſcriptiones Patauinæ, vt alias, quæ paſſim variis in locis leguntur, prætermittam. Quas, vt tibi morem geram, & patriæ faciam ſatis, oculis tuis ſubijciam. In hortis Vincentij Scardæonij

Pat.

Pat. Medici, hoc Epitaphium inuiſitur, vbi Primæ mentio fit: C. POMPEIVS C. L. LEPIDVS SIBI ET POMPEIAE C. L. PRIMAE TESTAMENTO FIERI IVSSIT. In agro Pat. itidem, in Caſali ſuburbio, ETTIA C. F. PRIMA. V. F. SIBI ET C. P. F. SECVNDA FIERI IVSSIT. Exemplum Tertiæ habes in hoc ſepulchro Ciceronis, & Patauij, IVLIA TERTIA LVCIDAE LIBERTAE. De Quarta extat epitaphium T. Liuij in antiquiſs. lapide inſcriptũ, quod ab æde D. Iuſtinæ tranſlatum, ciues Patauini in Prætorio ampliſſimo paucis antè annis ponendũ curârunt: V. F. T. LIVIVS LIVIAE T. F. QVARTAE: L. HALYS CONCORDIALIS, PATAVI SIBI, ET SVIS OMNIBVS. Quintæ verò mentio eſt in vetuſtiſſimis inſcriptionibus Patauinis: FILICINVS SIBI VIVOS FECIT,

CIT, ET ENNIO C. L. ANTIO C. PATRI, ET VETTIAE PRISCAE MATRI C. FIL. QVINCTAE. In meæ ſententiæ cumulum, id quoq; de maribus ab antiquis obſeruari, præclaro Epitaphij teſtimonio addiderim: quod olim repertum in D. Iuſtinæ ingreſſu, nunc inuiſitur apud Alexandrum Baſſianum Pat. politiſſimæ eruditionis virum, cuius domus, rerum antiquarum officina meritò dici poteſt. Id autem eſt huiuſmodi, C. SEMPRONIVS Q. F. PRIMVS VIVOS F. SIBI, ET VXORI CLODIAE SECVNDAE, ET QVINTO SEMPRONIO TERTIO FRATRI SVO. Si quid melius ſenſerint aut excogitârint doctiores & diligentiores viri, ex librorum antiquorum lectione, id omne illis, condonandum poſteris, relinquo. Tibi verò hæc pauca de multis (vir opt.) potiſſimum inſcribo, quoniam te ſemper

per totius vetuſtatis amantiſſimum cognoui: id etiam eò libentius facio, quò tibi de maximis tuis erga me beneficiis gratiam ſaltem aliquam referre videar: authoritas enim tua & teſtimonium quantam mihi apud reuerendos Canonicos Patauinos exiſtimationem fecerit, exploratiſſimum conſtat: ſiquidem tibi vni acceptum refero, quòd me literarum interpretem, ad veſtræ Eccleſiæ iuuentutem inſtituendam, delegerint KL. Maij M. D. XLVII. Quapropter nunc fateor, & quoad vixerim ſimul cum meis omnibus me tibi ſemper obnoxium eſſe, fateri cogor, & volo aliquando huius meæ erga te obſeruantiæ monumentum aliquod, ſi modò tantum ingenio præſtitiſſe valeam, poſteritati commendare. Interim has vigilias noſtras (qualeſcunque ſint) eo animo accipias, quo me ſemper erga te, & familiam tuam obſeruantiſſimum, ac votis

tuis deditiſſimum nôris, & Bernardinum fratrem opt. meo & F. Leonardi Altauillæ nomine ſalutabis, cuius dolor ex immatura morte Bartholomæi, vnici eius filij, & nepotis tui ſuauiſs. nos (ita viuam) & amicos omnes, vehemẽter excruciat. Sed quod durum, quod ineluctabile eſt, patientia leuius fiat. Vale, & me (vt facis) amà & foue. Patauij ex Muſeo noſtro D. Auguſtini ſept. Idus Maij, Ann. Chriſti M. D. LVI.

IN M. T. CICERONIS CINERES REPERTOS.

Alexandri Mamiani Ferrarij.

EN Marci Tulli cinerum venerabilis vrna:
Inuida quam longo tempore texit humus:
Hic picta eſt, alta qualem iacuiſſe Zacyntho
Fert DESIDERII lingua diſerta mei.
O cineres, ſanctos cineres, cineresq́ beatos,
Quos ego diuinum numen habere puto.
Queis tantum Latiæ debet facundia linguæ,
Quantum oratori Græcia docta ſuo.
Per vos Romanū eloquium ſic ſplendet, vt ardens
AEtherio clari ſolis ab axe iubar.
Vos igitur meritò, ſupplex, & pronus adoro,
Atq́ diu illæſos vt tegat vrna, precor.

EIVSDEM.

CVR cineres latuere pij tot ſecula? nemo
Dignus adhuc, illos qui reſeraret, erat.

At DESIDERIO, cuius micat inclyta virtus,
Hæc licuit ſacra buſta aperire manu.

IN EOSDEM.

LVCAE CAMPANII.

ELoquij princeps Romani Tullius, ipſum
Eloquium viuens vexerat aſtra ſuper.
Occiderat pereunte illo facundia lingua,
Et balbo Latium cœperat ore loqui.
Hinc iacuit multis dicendi copia ſeclis,
Præclari cineres dum iacuêre viri.
At nunc pulueribus gaudent noua ſecla . pertis,
Et reparat vires lingua Latina ſuas.

EIVSDEM.

SCis quia tam longo Ciceronis condita ſeclo
Oſſa, rogum, cineres alta Zacynthos habet.
Non deſiderio quiſquam perculſus, in oras
Optârat ſuperas luminis illa vehi.
Hoc igitur deſiderium feciſſe putandum eſt:
Eſt DESIDERIO gratia habenda igitur.

VITA IOANNIS GLANDORPII Monaſter.

Auctore

REINERO REINECCIO Steinhemio.

IOANNES GLANDORPIVS natus eſt MONASTERII, quæ Saxoniæ occidentalis, ſeu VVeſtvaliæ, vrbs eſt primaria. Notæ enim ex annalibus Saxonum nationes tres, OSTVALI, VVESTVALI & ANGRIVARII, notũ vt Saxoniæ nomen VVeſtualia tulerit, quàm diu gentis regno ſedem præbuit. Nam vbi hoc deſtructo, Ducatus, quem vocamus, ſucceſſit, isq; demum in Oſtualos immigrauit, eundem Saxoniæ appellatio ſubſecuta fuit, ita quidem vt Oſtualorum nomine extincto, Angriuariorum verò in vicum ὁμώνυμον detruſo, illa nunc ibi tantùm agnoſcatur, vt contrà de VVeſtualis μερικὴ hæc reuocata. Tempus, quo in lucem editus Glandorpius fuit, notabatur in Faſtis Cal. Auguſti, ann. Ieſu Chriſti M. D. I. Parentes perquam honeſtos habuit. Quorum cura & pietatis & literarum rudimenta feli-

feliciter addidicit. Docebat tum in patrio eius ludo IOANNES MVRMELIVS, quem accerſendum iſthuc curârat RVDOLFVS LANGIVS, ex ordine equeſtri vir cum primis doctus, & Eccleſiaſtica dignitate conſpicuus. Sub hoc Magiſtro cùm non pœnitendos progreſſus feciſſet, ita ei probari cœpit, vt commendatione eius etiam Langio innotuerit, & tandem vtriuſq; interceſſione in HERMANNI BVSCHII familia locum repererit. Erat & is equeſtri domo prognatus, Poëta & orator inſignis. Quem ætatis anno decimo ſeptimo Roſtochium Glandorpius aſſectatus, quinquenniũ ibi permanſit. Sic enim pleroſq; ſentire video. A quibus aliorum ſermones & lucubrationes ita diſcrepant, vt Coloniam Agrippinæ ab Hermanno Buſchio Glandorp. adductum, ibiq; illuſtri heroi HERMANNO, gentis Nuenariæ Comiti, commendatum affirment. Nam eam quidem dignitatis

nun-

nuncupationem è Rom. Imperij conſuetudine petitam, rectè retinere poſſe videmur. Neq; Nuenarius aliquo noſtro præconio indigebat, iam antè & generis ſplendore, & Eccleſiaſticis in collegio Colon: honoribus, deniq; exquiſita in literis eruditione, quam exſcripta typis nomumenta loquuntur, omnibus commendatiſſimus. Iidem talem Nuenarij erga Glandorpium amoris affectionem, reſpectum, benignitatem prædicant, vt hortatu ac ſumptu eius bonarum artium Magiſtrum ab acad. Colon. creatum velint. Addunt & hoc, Glandorpium tum & Nuenario, & Buſchio, & VLRICO HVTTENO, & IOANNI CAESARIO operam nauaſſe in ridiculo illo epiſtolarum libro conficiendo, qui obſcurorum Virorum titulo circumfertur. Id quod totum in medio relinquo: cùm qui ab ea ſententia deflectunt, hoſce Glandorpij honores negent, & tantummodo primam

mam Iuriſprudentiæ lauream, quæ vocatur, ei tribuant, ſic tamen vt de inaugurationis loco dubitent. Hoc conſtat, Glandorpium ab omni ſemper ambitione abhorruiſſe, & potius doctrinarum eruditionem, quàm ornamenta ſpectaſſe, & affectaſſe, præſertim cùm & noſtro ſeculo praui exempli mos inoleuerit, quem de Rom. repub. Cicero notat, nempe vt inſignia virtutis multi ſine virtute conſequantur, nec aliud quorundam tituli velint, quàm vt ad emolumenta horũ facilior eius aditus pateat. Interea Monaſterio diſceſſerat Murmelius, ſeque in Batauos receperat. Confeſtim igitur à patria Glandorpij opera expetita. Quem rediiſſe iſthuc accepimus ann. Ieſu Chriſti M. D. XXII. Habuit autem muneris eius aliquot collegas, & quaſi συνεργὺς. Inter hos quidam Henricus Fruchterus cum eo in grauem contentionem venit, ſic quidem vt ad mutuas easque publi-

publicas criminationes ambo procederent, & Glandorpius in Lutheraniſmi ſuſpicionem vocaretur. Quapropter loco motus, Vitebergam petiit. Ibi cum PHILIPPO MELANCHTHONE amicitiâ iunctâ, aliquanto pòſt Coloniam commigrat. Circa idem tempus Monaſterij doctrinæ Euangelicæ, cuius noſtra ætas inſtauratorem feliciſſimum tulit MARTINVM LVTHERVM, facere præconium cœperat Bernhardus Rothmanus, homo ille quidem ingenioſus, facundus, doctus, ſed varius, ſubdolus & nouarum rerum appetens. Is conſilio cum Hermanno Buſchio, qui tum profeſſionis publicæ functionem in acad. Marpurgenſi obtineret, communicato, Glandorpium collegam efflagitare. Nec ille in tam ſancto negotio patriæ deeſſe ſuſtinuit. Scimus & alios iſthic mox doctores conuolâſſe Quæ res cum Pontificiis potius collocutionem, quàm diſputationem peperit.

Ver-

Verba tum faciebant Rothmanus & Glandorpius. Pro Pontificiis cùm alij, tum quidam Ioannes Dauentrienſis, Franciſcanæ familiæ Monachus, propugnabat, verùm, vt non multo pòſt omnes ex vrbe diſcederent. Suſcepta ergo à Senatu oppidano deliberatio, de templis doctoribus Euangelicis tradendis. Et iſti, conſcriptis certis doctrinæ capitibus, ad nouam diſputationem ſe offerre, nec quoduis recuſare ſupplicium, niſi è ſacris literis vera eſſe demonſtrâſſent. Poſteaquam cum Pontificiis agi cœptum, illi diſputationis congreſſum declinare, cauſáq; ipſa cêdere.. Ita templis doctoribus Euangelicis permiſſis, hi exinde concordib9 animis & ſententiis docuêre, donec ſenſim Anabaptiſtæ irreperent. Princeps factionis eius erat IOANNES BOCHOLTVS, vulgò Leidenſis dictus (nam alios de patria eius aliter ſentire, comperi) vir alioqui nullo numero, hoc eſt, ſarcinator, ſed

non minus audax atq; aſtutus, quiq; leoninæ pelli egregiè vulpinam aſſuere noſſet, ſecundum vetus Lyſandri Spartani apophthegma, deniq; ſimulatione ſanctimoniæ, quam popularis eloquentiæ nerui fulcirent, ad vulgus circumueniendum & dementandum planè natus. Itaq; Rothmanum adortus, non magno negotio & ipſum & alios è collegis duos in ſententiam ſuã pertrahit, iamq; illi palàm infantium baptiſmum impugnare. Senatus vbi cognouit, decerni rem diſputatione edicit. Euocatur etiam Buſchius, qui Glandorpio & ſociis, ſaniorem de baptiſmo doctrinam tuentibus, adeſſet. Vt ambo tum cauſam iſtam perorârint, inſerere hîc non libet. Et cùm tandem Anabaptiſtarùm machinationibus ſeditio conflata eſſet, Glandorpius furentibus vix elapſus, & bibliotheca omnique ſupellectile exutus, Marpurgum ſe deportat. Exceſſerat haud longè antè vita Buſchius, ex Mo-

naſterienſi actione, de qua diximus, æger domum, quod vicinum Monaſterio equeſtre prædium erat, reuerſus. Ei Senatus academiæ ſuffragiis Glandorpius ſurrogatur. Iuſſusq; prælectionibus hiſtoricis præeſſe, diſciplinæ eius optimos quosq; auctores in vtraque lingua enarrauit. Nec facilè dixerim, quem auditorum applauſum, quem concurſum hoc inſtitutum eius excitârit. Et excepta CASPARI RVDOLFI vox fuit, nunquam acad. Marpurgenſem eloquentiores viros habuiſſe, quàm Buſchium & Glandorpium. Tamen vt fit, non caruit Glandorpius in eo laudis quaſi decurſu malè feriatis quibuſdam ſiue æmulis ſiue inuidis. Nec parum ipſe offendebatur nonnullorum cõſuetudine, quorum amicitiam magis neceſſariã quàm expetitam fortuna ei obiecerat. Itaque cùm Vitebergam ad Philippum Melan. excurriſſet, euenit vt illo ipſo temporis articulo reipub. Brunſuicen-

ſis ſenatus de gymnaſio Martiniano, quod ea ciuitas præcipuum habet, ad Philippum referret, deq; eius ſententia Rectorem, quem dicimus, exquireret. Hic ſtatim Glandorpium nominare. Qui Brunſuigam traductus, ea doctrinæ, ea induſtriæ, diligentiæ, aſſiduitatis fama ſtationem ſuam defendit, vt auditorium longè frequentiſſimum haberet, & quotquot in vrbe iſta degerent viri docti amicitiam eius & cupidè ambirent, & ſanctè colerent. Enituit in his ANTONIVS NIGER, Doctor Medicus, cuius Grammatica Græca, & de valetudine tuenda liber extat. Idem Glandorpio, cùm ei dicam ſcripſiſſet NICOLAVS MEDLERVS, Doctor Theologus, & Eccleſiæ Superintendens, ſumma conſtantia & fide patrocinatus fuit. Ac perhibetur controuerſiæ illius hic quaſi fons extitiſſe, quòd librum quendam Medleri obtrudi Glandorpius ſcholæ ſuæ nollet: ſed è quo fonte deinde,

quemadmodum in animorum aliena-tione fieri conſueuit, alij poſt alios ſi-multatum & offenſionum corrugi de-fluerent. Attigerat iam viuendo Glan-dorpius ætatis annum quadrageſimũ primum. Quâ de cauſâ amici ei de matrimonio aſſiduè inſtare. Ille etſi ita Muſis aſſueuerat, vt cætera omnia poſthabere videretur, tandem tamen aſſentitur. Eſtq́; ab eo ducta vxor è fa-milia Laffarda, Brunſuigæ inprimis honeſta, vnde vtriuſq́; ſexus liberos ſuſtulit. Cæterum cùm poſt eam li-tem, quam Glandorpio Medlerum in-tentâſſe diximus, is ſeu pudore, ſeu quâcunq́; alia ratione inductus, Brun-ſuigam reliquiſſet, rei inuidia in Glan-dorpio reſedit. Factum ergò quorun-dam inpulſu, vt is ſcholaſticâ admini-ſtratione abdicaretur. Qui nihil hoc caſu fractus, moxq́; Hamelam accerſi-tus, eâdem ibi fortunâ ludum aperuit. Putatur autem negotium iſtud potiſ-ſimum egiſſe ac confeciſſe RVDOL-

corrugi

FVS MOLLERVS, Eccleſiæ Hamel. Superintendens. Hunc nos quoq; iam ſenem vidimus:& filius eius Iuſtus, magiſterij honores mecum Vitebergæ adeptus fuit. Sed natum tum Glandorpio infelix cum vxore diſſidium, quippe quod occaſionem dederit, vt rurſus ſolum verterit,& Hannoueram commigrârit. Nam eius vrbis gymnaſio iam antè celebritatis nonnihil conciliârant Chriſtianus Sleibingius, & Bernardus Vogelmanus. Subſtitit ibi Glandorpius vſque ad annum Ieſu Chriſti M. D. LV. Quo eodem anno me primùm auditorem accepit. Quia verò interea cum vxore diſſidium recruduerat, Glandorpius litium pertæſus, Vitebergam ſe conferre ſtatuit. In eo itinere Goſlariæ cum TILEMANNO HESHVSIO, Doctore Theologo, tum Eccleſiæ eius Superintendente, congreſſus, & Senatui ſtudio eius commendatus, ilico ibi detinetur, ſecutiq; eum ex gymnaſio

ſio Hannouerenſi agminatim diſcipuli fuêre. Ego etiam iſthic loci quadriennium integrum ei operam dedi, & demum vberioris quaſi mercatus in literis gratia Academiam petiturus, eo ornatus teſtimonio ipſius fui, quod alibi legendum publicè dedi. Videbatur nec iſtud hîc reticendum, Glandorpium tum primum de familiis Romanis ſpecimen edidiſſe, Antoniæ gentis deſcriptione emiſſa, & ipſi Senatui dicata. Tametſi hanc eius apud ordinem illum gratiam neſcio quid poſtmodo extinxerit. Ipſe quidem potiſſimum calamitatis iſtius ſuæ culpâ Iacobum Macrinum, Heshuſij ſucceſſorem, teneri volebat. Ergo Herfordiam, quæ VVeſtualici nominis vrbs non incelebris eſt; euocatus, rei ſcholaſticæ ibi trienniũ præfuit. Nam poſt hoc tempus vitam priuatam egit, ſeq; totum familiis Roman. elaborandis dedidit. Fortè autem Iuliam in manus ſumſerat eo animo, vt ſepara-

tim exprimendam daret, & illuſtriſs. Principi IVLIO, Duci Brunouic. & Luneburg. inſcriberet. Sed antequam planè abſolueret, in morbum incidit. Quo inualeſcente, ad animi potius, quàm ad corporis curam conuerſus, in ſpe vitæ & beatitatis æternæ, partæ generi humano ſanguine & meritis FILII DEI, τοῦ μεσίτου καὶ ἱκέτου, placidè moritur. Exuuiæ honorificè conditæ fuêre ad ædem Dionyſij & Ioannis. Monumentum carmine gemino ornauit Henricus Sibæus Olphenius. In quibus cùm alterum in tumulo mutilum legatur, alterum planè omiſſum ſit, nos vt edita Lemgouiæ fuêre ambo hîc referemus, præmiſſa ἐγκωμιαστικῇ inſcriptione, quam & ipſam editum exemplum appoſitum habet.

CLARISS. LITERATISSIMOQVE VIRO DN. MAgiſtro Ioanni Glandorpio, qui obijt ann. 1564. die Februarij 22.

LE-

LEctor, amans Chriſtum cubat hic Glandorpius, ille
Muſarum cultor, Pieridumq́; decus.
Quem nunquam viuū Germania tota prehendit,
Defunctum tumulus continet exiguus.
Claraq́; quem parui fecit Herfordia viuum,
Mortuus hic illi gloria ſemper erit.

ALIVD.

ETHnicus inuitè moritur, mortemq́; tremiſcit,
Spe vitæ æternæ quòd miſer ille caret.
Tu contrà duræ, Glandorpi, ſpicula mortis,
Horrida viciſti, læta corona datur.
Nos duo corporibus fuimus, ſed mentibus vnum,
Nos amor inuictos reddidit vsq; duos.

Præterea in pila, tumulo proxima, hæc leguntur:

Glandorpi, cuius ſtudiumq́; fidemq́; iuuentus
Senſit, amans tellus hoc tegit oſſa ſolo.

De quo poſtremo diſticho me Ambroſius F. monuit, id patrem auctorem habere, eiuſq; iuſſu aſcriptum tumulo fuiſſe. Idem horam, qua Glandorpius, & quidem ſuo in complexu, expiraſſet, magis ἐν πλάτει, quàm ad amuſſim nomi-

nominabat, nimirum ſextæ & ſeptimæ veſpertinæ ſpatium intermedium.

Expoſuimus hacten⁹, quàm fieri potuit breuiſſimè, vitæ IOANNIS GLANDORPII curriculum. Nunc cætera de eo addemus, & ipſa digna viſa, quæ litteris conſignarentur. Ingenio & moribus Glandorpius fuit apertis, oderatq́; fucum, oderat ſimulationes. Pietati vt qui maximè ſtudebat, alieniſſimus à ſectis, alieniſſimus à turbis & Zelotarum cupiditatibus, quibus religionis πρόσχημα quærerentur. Sermo & ſimplicitate & comitate commendabatur, nec deerat geſtus compoſitus. In ſcholaſtica diſciplina eius nullus rigor, nulla moroſitas aduertebatur, & vbi pœnæ vel mulctæ irrogandæ eſſent, omnia decenti humanitate temperabantur. Itaque facilè ad ſe auditorum animos allicere, nec minus ipſe diſcipulos amare, quàm ab ijſdem amari.

Labo-

Laboris patientiſſimus fuit. Eratque id in eo memorabile, quòd ſiue commentaretur, ſiue doceret, rariſſimè ſedere, vt plurimum verò ſtare conſpiciebatur, exemplo ſcilicet non diſſimili, quod de Maſaniſſa rege memoriæ prodidit Valerius, de Lucilio Poëta Horatius. Inter amicos principe loco colebat, nec ſolùm in familiari conſuetudine, verùm etiam prælectionibus ſuis prædicabat, PHILIPPVM MELANCHTHONEM, BVRCARDVM METHOBIVM, ANTONIVM NIGRVM, HERMANNVM TVLICHIVM & HENRICVM SIBAEVM OLPHENIVM. De Nigro ſuprà egimus. Quantum Philippus Glandorpio detulerit, præter ea, quæ itidem ſuprà retulimus, pluribus eius literis doceri poſſet. Sed & ſcripto quodam illius, publicè Vitebergæ propoſito, nominatur doctiſsimus pubis informator, nominatur

tur hiſtoriarum ſcrutator exactus, nominatur prudens ingeniorum cenſor. Adhæc in familiis Rom. colligendis Glandorpij inſtitutum Philippus auctoritate ſua vehementer confirmauit, ingenuè tamen profeſſus, FAMILIAS SCRIBERE, INFINITI LABORIS OPVS ESSE. Nam his ipſis verbis vſum, accepimus. Methobius, Doctoris Medici conſecutus honores, multis annis Archiatri munere functus eſt in aula Mundenſi ERICI Princ. ex illuſtriſs. Ducum Brunouic. &c. domo. Ac ſcimus, alios quoque Dynaſtas operam eius & expetiiſſe, & perquam fortunatam expertos eſſe, ſcimus raro exemplo paterni nominis & profeſſionis decus feliciter excepiſſe, æquatáq; laude hactenus ſuſtinuiſſe, HECTOREM F. Tulichium patria mea Steinhemum, agri & diœceſeos Padeborn. municipium, ſeu oppidum, edidit. Ac recordor, auunculum meum iam ſenem narraſſe,

ſe pue-

ſe puerum, & ſodalem & condiſcipulum Tulichium habuiſſe, deniq; familiam illam noſtræ affinem extitiſſe. Claruit autem Tulichius non minore doctrinæ, quàm pietatis, integritatis & eloquentiæ fama. Quæ Lutheri de eo exiſtimatio fuerit, dicatus ei de captiuitate Babylonica liber teſtatur. Primùm enim Tulichius in acad. Viteberg. deinde in Lipſienſi profeſſorem egit. Vbi cùm ob religionem, & Lutheri amicitiam nonnullo in diſcrimine eſſet, præſtatum Chriſtophori Hegendorfini opera aiunt, vt Lunæburgum ad gymnaſium iſthic conſtituendum euocaretur. Eodem tempore Philippi Melan. publicam & ad Senatum Lunæburg. priuatam commendationem promeruit. Functus igitur eo munere ſucceſſu ſecundiſſimo, extremum vitæ diem ante Glandorpium morte conficit. Quem commemorare & celebrare audiui in cæteris à Tulichio ad ſe miſſis epiſtolis, quandam

ita

ita elucubratam, vt cùm eruditiſſimũ carmen eſſet, vix tamen agnoſci carmen poſſet. Sibæi paulò antè mentionem fecimus. Et quàm huic viro cum Glandorpio ſingularis cuiuſdam & ſtabilis neceſſitudinis vſus fuerit, carmen eius alterum demonſtrat. Peruenit etiam in manus meas de Sibæo ad Senatũ Oſnabrug. eiuſmodi Glandorpij epigramma, nempè amoris mutui egregia, neq; indigna ingenuo homine teſtificatio:

Quæ tibi dat doctus, felix Oſiburga, Sibæus
Carmina, ſunt cedro digna legiq; pijs,
Quod ſenſit, ſcripſit meus ille perennis amicus,
Quo nil candidius ſtelliger axis habet.
Ergo bonis, pietas quibus eſt quàm maxima cordi,
Sit commendatus vir bonus atq; pius.

Enimuero dici hîc de Sibæo eiuſque laboribus plura alia poterant, & forſan etiam debebant. Sed ea propoſito deſeruientes omittimus. Tantùm reprehenſum ab eo quadam Horatij

ratij & Iuuenalis imitatione non inuenuſto diſticho inſanabile illud multorum ſcribendi cacoëthes, quod noſtro ſeculo etiam vehementius exarſit, attingere viſum fuit, quod diſtichon ita ſe habet:

Scribunt indocti nunc paßim: docte ſilebis,
Ne ſi quid ſcribas, mox habeare rudis.

Diſcipulos Glandorpius plurimos reliquit, quos inter hodie non paucos in ſummis dignitatibus conſtitutos cernimus. Nec ſingulos enumerare libet. Qui mihi vel noti, vel familiares eſſe cœpere, hi ſunt: Chriſtophorus à Donope, ex ordine equeſtri: Ioannes Exterus, Fridericus Dedekindus, & Vitus Buſcherus, Theologi: Ioannes Vflerus, Fridericus & Petrus à VVeihe, Antonius VVitershemius, Iuſtus Lorlebergius, Iureconſulti omnes: Henricus Paxmanus & Hector Methobius, Medici: Ionas Tuntius, Andreas Iris, Burcardus Friſius,

Bur-

Burcardus Arnichius, Chriſtophorus Schmerrhemius, Iuſtus Panſa &c. opt. artium Magiſtri & cultores. Quorum ſingulorum opera partim illuſtriſs. aulis, & quidē vel Cancellariorū vel Conſiliariorū nominibus, partim Eccleſiis & academiis, partim ſuæ cuiusq; patriæ ſeruit. Nā præter Paxmanū & Tuntiū reliqui omnes adhuc in vita ſunt. Qua de cauſa hæc noſtra deſcriptio in aliam laudum ornamentorúmue ipſorum digredi commemorationem non debebat: præſertim cùm iam antè pleroſq; auſpices, pleroſq; locupletes quaſi teſtes lucubrationes noſtræ præferant. Ne dicam, Paxmanum & Tuntium eam ingenij, eam doctrinæ famā collegiſſe ac reliquiſſe, quæ nulla oblitterari obliuione poſſit. In ſcriptis ſuis prodire Glandorpius, dum vixit, paſſus fuit Syluam in enarrationem Commentariorum Cæſaris; item librum vnum diſtichorum moralium, & quemadmodum ſuperiori expoſitione

tione oſtendimus, familiæ Antoniæ genealogiam. Nos à morte eius addidimus Annotationes in Commentarios Cæſaris, & alteras in Epiſtolas Ciceronis, quæ vulgò familiares, rectius ad familiares vocantur: Ambroſius verò filius familiam Iuliam, & alterum diſtichorum moralium librum, pollicetúrq; alios nobis Syluarum & Epigrammatum & Epiſtolarum libros. Vt idem poteſtatem mihi conceſſerit de reliquis Romanis familiis patris volumen, cui ONOMASTICON ROMAN. nomen fecimus, euulgandi, alibi docuimus. Ac citat hoc ipſo volumine Glandorpius & Apophthegmata & leges Rom. à ſe collectas. Quam tamen neutram commentationem videre nobis hactenus licuit. Nec potui non inſtar corollarij, ſeu potius epilogi loco ſubiicere, quæ de Onomaſtici ſuſcepta elaboratione Glandorpius in præfatione familiæ Antoniæ diſſeruiſſet. Etſi optandum

eſſet,conatui eius poſt homines natos pulcherrimo & præclariſſimo parem fortunam reſpondiſſe, hoc eſt, illum quod ſumma contentione inſtituerat, effectum dare potuiſſe. Intercepit enim eum mors,non ipſi quidem,ſed operi tanto & rei literariæ immatura. Sed de his ſatis.

Nunc Glandorpij verba videamus: Quod vulgò in ædificiorum ruinis accidere videmus, vt dum area perpurgatur, & rudera per operas egeruntur, quicquid ſupellectilis reliquum eſſe potuit,quantumlibet contuſum,ſtudioſè in vſum aliquem domeſticum requiratur, idem mihi poſt collapſam tot retrò ſeculis rem Romanam in ſcrutandis perquirendiſq; victoris terrarum populi familijs plurimæ curæ fuiſſe confiteor. Semper enim iudicaui, venuſtiſſimam eſſe hanc rei literariæ partem, multumq; dignita

gnitatis & ornamenti politioribus ſtudijs acceſſurum, ſi quoad eius fieri poſſit, ex qualibuſcunq; ſcriptorum reliquijs, quas nobis fortuna ſupereſſe voluit, eam recuperaſſemus. Perijt nobis theſaurus ingens, amiſsis T. Pomponij Attici familijs, quibus libris Cornelius Nepos nihil eſſe dulcius teſtatus eſt ijs, qui noticiam aliquam clarorum virorū expeterent. Maior etiam calamitas accepta eſt in iactura lucubrationum vnius omnium togatæ palliatæq; gentis longè doctiſsimi, Terentij Varronis, ex cuius innumerabilibus ſcriptis (fuit enim πολυγραφώτατος) omnis Latini nominis antiquitas cognoſci potuit. Ne quid interim de cæteris eius ætatis conditoribus dicam, quorum internecionis nemo ſine dolore & gemitu meminiſſe poteſt. Verùm quemadmodum poſt

malam quoq; ſegetem ſerendum eſt, & , vt ait ille, poſt naufragium maria tentantur, ſic tantis acceptis detrimentis, non ideo deſpondendus eſt animus. Imò hoc diligentius incumbendum arbitror, vt quæcunque ad honeſtam aliquam literaturam, & inprimis ad renouandas veterum propagines faciũt, ſedulò comparemus, quò maiorem inde, ſi quid conſecuti fuerimus, fructum nobis pollicemur. Mihi dum neruis omnibus hanc Spartam vrgeo, quodnam factum operæprecium ſit, non eſt noſtri pudoris proloqui. Maluimus id aliorum ſuo tempore iudicium eſſe. Magnam profectò familiarum vim coëgimus. Deinde ſedulam nauauimus operam, vt ex ijs pleraſq; nobiliores, collectis vndiq; membris, & articulis, & ad compagem ſui corporis ſuas quibuſq; in ſedes reuocatis,

ſi non

ſi non totas, at bona ex parte quaſi re- fingeremus. Adhæc quod leuioris operæ fuit, vbi certa generis ſeries deduci qui- ta non eſt, literarum ordinem in cogno- mentis ſecuti, quotquot vel gentiles, vel eiuſdem nominis vſurpatores offendi- mus, eorundem non ingratum, quod ar- bitramur, nec inutilem futurum ſtudio- ſis catalogum contexuimus. Vtinam verò doctiſsimus vir, Petrus Crinitus, familias ſuas, quas ſæpè promiſit, dare potuiſſet: aut Raphaël Volaterranus, homo profectò variæ & latè patentis e- ruditionis, aliquanto copioſius & emen- datius Anthropologiam ſuam excolu- iſſet: fortaſsis enim non fuiſſet opus hoc labore noſtro, quem ab initio in vſus pri- uatos inſtituimus, vt in hiſtoria docen- da tanto nobis exploratior foret, qua- uis eius in parte temporum ac perſona-

rum ratio. Cæterùm quantopere bonis auctoribus rectè cognoſcendis hæc familiarum obſeruatio conducat, ſciunt eruditi omnes, tum idem arguunt permultæ multorum hallucinationes & offenſæ, quas huius lucis beneficio deſtitutis incurrere neceſſe fuit. Poſſem illarum ὅλας, quod Græci dicunt, ἁμάξας in medium afferre, niſi parum ciuile ducerem, ex aliorum inſectatione famam, & ingenij laudem aucupari velle. Qui mihi hîc minorem fidem habet, excutiant moles enarrationum in Ciceronis epiſtolas, Orationes & Dialogos. Euoluant latifundia Commentariorum in Valeriū, in Senecam, in Quintilianum, in Suetonium & alios, quos enumerare longum eſt. Luſtrent item quorundam neotericorum de rebus Romanis συντάγματα. Niſi & enormiter & ſæpius

 quàm

quàm pro opinione peccatum eſſe depre-
hendent, non recuſabo quouis appellari nomine. Videre eſt ibi, crebrò patrem pro filio, auum pro nepote poni. Nonnunquam ex proprijs nominibus appellationes fieri, & homines, mirifica ſanè metamorphoſi, in oppida, in herbas, in aquam & ignem commutari. Videre eſt ſæpenumero duorum, trium pluriúmue res geſtas commiſceri, & quomodo in fabulis Poëticis vſitatum eſt, vnum aliquem pro multis celebrari. Quod quanto fiat hiſtoriæ incommodo, cui poteſt obſcurum eſſe? Nec ab his incommodis prorſus immunes, & liberi pronunciandi ſunt veteres. Quàm multa enim in ijs occurrunt, vbi dormitatum eſſe vel mediocriter literis tinctus animaduertat? quæ tamen ipſa loca ſi quis neutiquam per illos ſic prodita, ſed vel

tempo-

temporum iniuria luxata, vel à ſciolis inuerſa & corrupta eſſe contenderit, aduerſus hunc nullam dimicationem ſuſcipiam, modò veterum memoriarum adiumento multas id genus deformationes in vtriuſq; linguæ ſcriptoribus deprehendi, ac interpolari poſſe viciſsim nobis largiatur. Quod de profanis auctoribus aſſerimus, idem de literis ſacris accipi conuenit, quæ cùm aliquot Romanorum Principum, ſimiliter Proconſulum & Præſidum, multorumq; priuatæ fortunæ ciuium, iuxtà & inquilinorum meminerint, multum profectò lucis priſcarum hæc familiarum cognitio ijs attulerit. Hactenus Glandorpius.

FINIS.

ÖSTERREICHISCHE
NATIONALBIBLIOTHEK

ÖNB
208402

Digitized by Google